

deposita, & cuiusvis passionis, conventionis & obligationis necessitate, nec non conditi & intendimenti contemplatione cessantibus; non in se reciprocant considerationis intuitum, vel in suos, non que sua sunt, querant, non commodis privatis intendant, sed nullo arbitante ipsorum in eligendum iudicium, nisi Deo, puris & liberis mentibus, nyda electionis conscientia utilitatem publicam libere prosequantur. Omni conatu & sollicitudine, prout possibilia patitur, illud alturi tantummodo, ut eorum ministerio acceleretur utilis & pernecessaria totius mundi proviso, idoneo celeriter eidem Ecclesie sponso dato. Qui autem secus egerint, divina subjaceant ultioni: eorum culpa nisi gravi propter hoc peracta penitentia nullatenus abolenda. Et Nos nihilominus passionis, obligationis, conditi & intendimenti omnia, sive juramenti, sive cuiuslibet alterius fuerint vinculo firmitatis annexa, cassamus, irritamus, & viribus decernimus omnino carere; ita ut nullus ad illa observanda quomodolibet sit adstrictus: nec quisquam ex eorum transgressione notam vereatur fidei non servate, sed non indigna laudis titulum potius mereatur: cum lex etiam humana testetur, Deo magis transgressiones huiusmodi, quam iurisjurandi observationes acceptas.

Quia vero fidelibus non est tam de sollicita quantumcumque inventionis fidendum, quam de instantia humilis & devote orationis sperandum, huic adjuvanti sanctioni, ut in omnibus civitatibus ceterisque locis insignibus, ubi primum de memorati Pontificis obitu certitudo claruerit, a Clero & populo solemnibus pro exequiis celebratis, singulis diebus, donec de Ecclesia ipsius provisione indubitatus rumor pertrulerit veritatem, humiles preces fundantur ad Dominum, apud eum devotis orationibus instatur, ut ipse qui concordiam facit in sublimibus suis, sic efficiat eorundem Cardinalium corda in eligendo concordia, quod proviso celer, concors & utilis, prout animarum salus exigit, & totius requirit Orbis utilitas, ex ipsorum unanimitate sequatur. Et ne tam salubre presentis sanctionis edictum ignorantia negligi preterit contingat, districte precipimus, ut Patriarcha, Archiepiscopi, Episcopi, & alii Ecclesiarum Prælati, ceterique antea concessum est proponere verbum Dei, Clerum & populum propter hoc specialiter frequentius congregandos, in suis sermonibus ad supplicum precum suffragia pro ceteri & felici exitu tanti negotii frequentanda solentur hortentur. Et Ipsis eadem auctoritate non solum orationum frequentiam, sed & observantiam, prout circumstantia pensanda fuerint, sejuniorum indicant, cap. ubi periculum, de election. in 6.

3. Can. III. Ut circa electiones, postulationes, & provisiones Ecclesiasticas viam malitias, prout est possibile, præcludamus, nec diutius periculose vacent Ecclesie, vel personarum dignitatem, & aliorum Ecclesiasticorum beneficiorum proviso differatur; edito perpetuo providemus, ut si quando aliqui electionibus, postulationibus, vel provisionibus se opponunt, proponendo aliqua contra electionis, postulationis, seu provisionis formam, aut personas eligentium, vel electi, sive illius, cui proviso erat faciendum, vel facta, & propter hoc contigerit appellari, appellantes in instrumentis publicis seu litteris super appellatione confectis, omnia & singula expriment, que in formam intendunt obicere, vel personas, coram personis auctoritatis, aut persona, que super hoc testimonium perhibeat veritati, corporali præstito juramento, quod credunt ea, que sic expriment, esse vera, & se posse probare. Alioquin tam opposites, quam (tempore appellationis interposita vel postmodum) adherentes eisdem, obicendi aliqua, que non fuerint in huiusmodi litteris vel instrumentis expressa, potestatem sibi noverint interdicitam: nisi aliquid postea forsitan emerit, vel super antiquis supervenerit probandi facultas, aut aliqua antiqua in opponentium notitiam de novo pervenerint, que appellantes appellationis emissa tempore verisimiliter ignorare poterint, & etiam ignorarint. Super huiusmodi autem ignorantia, & superveniente facultate probandi, fidem per proprium præstandum corporaliter faciant juramentum. Hoc additum in iuramento eodem, quod ad ea probanda credunt se sufficientes probationes habere. Illa sane que felix recordationis Innocentius Papa quartus contra non plene probantes ea, que in formam, vel personam obicere, statuit, in sua volumus robore permanere.

Illam hic memorata Innocentii quarti Constitutio habetur supra in Concilio Lugdunensi primo, & his verbis incipit: Statuimus, ut aliqui electiones & postulationes, &c. Habentur pariter quemadmodum & superius ex secundo Lugdunensi Concilio paulo ante allegata Constitutiones, sub titulo de electione, in 6.

Can. IV. Avaritia acitas, & damnanda ambitionis improbitas, aliquorum animos occupantes, eos in illam

temeritatem impellunt, ut qua sibi a jure interdita noverint exquisitis fraudibus usurpare conentur. Nonnulli siquidem ad regimen Ecclesiarum electi, quia eis jura prohibente non licet ante confirmationem electionis celebrare de ipsis, administrationem Ecclesiarum, ad quas vocantur, ingerere, ipsi sibi tanquam procuratoribus seu economis committi procurant. Cum igitur non sit malitius hominum indulgendum, Nos latius providere volentes, hac generali constitutione sancimus, ut nullus de cetero administrationem dignitatis, ad quam electus est, priusquam celebrata ab ipso electio confirmetur, sub economatus vel procuratoris nomine, aut alio de novo quæsito colore, in spiritualibus vel temporalibus, per se vel per alium, pro parte vel in totum gerere, vel recipere, aut illis se immiscere præsumat. Omnes illos qui secus fecerint, jure, si quod eis per electionem quæsitum fuerit, accerentes eo ipso privatos. Habetur in c. avaritia, de election. in 6.

Can. V. Quam sit Ecclesie ipsarum dispendiosa vacatio: quam periculosa etiam esse soleat animabus, non solum jura testantur, sed etiam magistra rerum efficacis experientia manifestat. Cupientes itaque competentibus remediis vacationum diuturnitatibus obviare, hoc perpetuo decreto statuimus, ut si quando fuerit electio in aliqua Ecclesia celebrata, electores electionem ipsam, non citius commode poterint, electo presentare, ac petere consensum ipsius procurare; electus vero illum adhibere infra mensem a tempore presentationis huiusmodi teneatur: quem si electus ipsi prestare ultra distulerit, jure, si quod ei ex sua electione fuerit acquisitum, ex tunc se noverit eo ipso privatum; nisi forsitan ea sit electa persona candidio, ut electioni de se celebrata absque sui Superioris licentia ex prohibitione, seu quavis provisione Sedis Apostolicæ consentire non possit. Quo casu idem electus, seu electores ipsius, consentiendi licentiam ab eius Superiore cum ea celeritate, quam Superioris ipsius presentia vel absentia permiserit, petere debeant & habere. Alioquin si lapsa tempore pro ejusdem Superioris presentia vel absentia, ut præmittitur, morando, huiusmodi licentiam eos nequaquam obtinere contingat, electores ex tunc ad electionem aliam procedendi liberam habeant facultatem. Ceterum quidvis electus infra tres menses post consensum electioni de se celebrata præstitum, confirmationem electionis ipsius petere non omittat. Quod si iusto impedimento cessante infra huiusmodi trimestre tempus omiserit, electio eadem eo ipso viribus vacuetur. Habetur in c. quam sit Ecclesiis, de elect. in 6.

Can. VII. Nulli licere decernimus, postquam in scrutinio nominaverint aliquem, & electio fuerit subsoluta, vel postquam præstiterit electioni de ipso ab aliis celebrata consensum, illum super electione ipsa, nisi ex causa postea emergentibus, impugnare: vel nisi ei morum ipsius antea celata de novo pandatur improbitas, seu alioquin latentis vitii vel defectus, que verisimiliter ignorare potuerit, veritas reveletur. De huiusmodi autem ignorantia fidem proprio faciat juramento. Legitur in c. nulli licere de election. in 6.

Can. XII. Generali constitutione sancimus, universos & singulos, qui Regaliam, custodiam sive guardiam ad vocationis seu defensionis titulum in Ecclesiis, monasteriis, seu aliis quibuslibet piis locis de novo usurpare conantes, bona Ecclesiarum, monasteriorum, aut locorum ipsorum vacantium occupare præsumunt, quantumcumque dignitatis honore præfulgeant; Clericos etiam Ecclesiarum, Monachos monasteriorum, & personas ceteras locorum eorundem, qui hac fieri procurant eo ipso excommunicationis sententia subjacere. Illos vero Clericos, qui se, ut debent, talia facientibus non opponunt, de preventibus Ecclesiarum seu locorum ipsorum, pro tempore quo præmissa sine debita contradictione permiserint, aliquid percipere districte prohibemus. Qui autem ab ipsarum Ecclesiarum, ceterarumque locorum fundatione, vel ex antiqua consuetudine jura huiusmodi sibi vindicant, ab illorum abusu sic prudenter abstineant, & suos ministros in eis sollicito faciant abstinere, quod ea que non pertinent ad fructus seu redditus provenientes vacationis tempore, non usurpent; nec bona cetera, quorum se afferunt habere custodiam, dilabi permittant, sed in bono statu conservent.

Ad hanc Ecclesiarum libertatem ac immunitatem opportune altera ista debet adungi: ut scilicet laici cuiuscumque conditionis collectas Ecclesiis aut clericis imponentes citra liberum eorum consensum, si moniti non desistant, sint ipso facto excommunicati cum fautoribus & cooperantibus ex decreto Concilii Lateranensis sub Alexandro Papa III. can. 19. qui inferitur sub titulo de immunit. Eccles. Non minus hoc pariter spectant c. quamquam, de censib. in 6. & c. 1. de immunit. Eccles. in 6.

Can. XIII.

Can. XIII. Licet Canon a felix recordationis Alexandro Papa tertio prædecessoris nostri editus, inter cetera statuerit, ut nullus regimen Ecclesie Parochialis suscipiat, nisi vigesimum quintum annum ætatis attigerit, ac scientia & moribus commendandus existat; quodque talis ad regimen assumptus huiusmodi, si monitus non fuerit præfixo a canonibus tempore in Presbyterum ordinatus, a regimini ejusdem amoveatur officio, & alii conferatur: tamen in observatione canonis memorati se multi exhibent negligentes. Nos periculosam illorum negligentiam volentes juris executione supplere, presenti decreto statuimus ut nullus ad regimen Parochialis Ecclesie assumatur nisi sit idoneus scientia, moribus, & atate, decerentes constitutiones de Parochialibus Ecclesiis, iis qui non attigerunt vigesimum quintum annum, de cetero faciendas, viribus omnino carere. Et etiam qui ad huiusmodi regimen assumatur; ut gregei sibi crediti diligentius gerere curam possint, in Parochiali Ecclesia, cujus rector extiterit, residenter personaliter teneatur, & infra annum a sibi commissi regimini tempore numerandum se faciat ad Sacerdotium promovendi. Quod si infra idem tempus promotus non fuerit; Ecclesia sibi commissi, nulla etiam præmissa monitione, sit presentis constitutionis auctoritate privatus. Super residentia vero, ut præmittitur, facienda, post Ordinarium gratiam dispensative ad tempus facere, prout causa rationabilis id exposcet.

Canon ille hic memoratus Alexandri videri potest supra, numero tertius, in Concilio Lateranensi generali sub Alexandro tertio, & in c. cum in cunctis factis Ordinibus, §. inferiora, de electio. Gregor. X. addit ad Canonem Alexandri III. duo valde notanda: Primum, quia Alexander declarat, opus esse monitione prævia ad suscipiendos Ordines; Gregorius autem amovet illam conditionem, sine qua provisos nihilominus excidet beneficio. Idem Alexander statuit fieri privationem beneficii per iudicis sententiam; Gregorius vero privari statuit ipso jure. Concilium Tridentinum præfatum Alexandri III. decretum renovat sess. 24. c. 12.

Can. XIV. Nemo deinceps Parochialium Ecclesiarum alicui non continuo in etate legitima & Sacerdotio commendare præsumat, nec tali etiam nisi unum, & evidentis necessitate vel utilitate ipsius Ecclesie suadente. Huiusmodi autem Commendam, ut præmittitur, rite factam, declaramus ultra semestris temporis spatium non durare. Statuentes, quidquid secus de commendis Ecclesiarum Parochialium actum fuerit, esse irritum ipso jure. Legitur inferum de election. in 6. c. nemo deinceps.

Can. XVIII. Ordinarii locorum subditos suos plures dignitates, vel Ecclesias, quibus animarum cura imminet, obtinentes, seu personatum, aut dignitatem, cum alio beneficio, cui cura similis est annexa, districte compellunt dispensationes, auctoritate quarum huiusmodi Ecclesias, personatus, seu dignitates canonicè tenere se afferunt, infra tempus pro facti qualitate ipsorum Ordinariorum moderandum arbitrio exhibere. Quod si forte iusto impedimento cessante, nullam dispensationem infra idem tempus contigerit exhiberi, Ecclesia, beneficia, personatus, seu dignitates, que sine dispensatione aliqua eo ipso illicite detineri constabit, per eos, ad quos illorum collatio pertinet, libere personis idoneis conferantur. Ceterum si dispensatio exhibita sufficienter evidentem appareat, exhibens nequaquam in beneficiis huiusmodi, que canonicè obtinet, molestetur. Provideat tamen Ordinarius, qualiter nec animarum cura in eisdem Ecclesiis, personatibus, seu dignitatibus negligatur, nec beneficia ipsa debitis obsequiis defraudentur. Si vero de dispensationis exhibitæ sufficientia dubitetur: super hoc erit ad Sedem Apostolicam recurrendum, cuius est estimare, quemadmodum beneficii sui esse velit. In conferendis insuper personatibus, dignitatibus, & aliis beneficiis curam animarum habentibus annexam, iidem Ordinarii diligentiam illam observent, ut personatum, dignitatem, vel aliud beneficium similem curam habens alicui plura similia obtinenti non ante conferre præsumant, quam eis super obtentis dispensatio evidenter sufficienter ostendatur. Qua etiam ostensa, ita de eadem ad collationem procedi volumus, si appareat per eandem, quod is, cui collatio est faciendum, huiusmodi personatum, dignitatem, vel beneficium libere retinere valeat cum obtentis; vel si ea, que sic obtinet, libere ac sponte resignet. Alter autem de personatibus, dignitatibus, & beneficiis talibus facta collatio nullius penitus sit momenti. Habetur in c. Ordinarii locorum, de officio Ordinar. in 6.

Can. XIX. Properandum nobis visum est, ut malitiosis litium protrahitionibus occurratur: quod speramus efficaciter provenire, si eos, qui circa iudicia sum ministerium exhibent, ad id congruis remediis dirigamus. Cum Caballutii, Notitia Ecclesiastica.

igitur ea, que ad hoc salubriter fuerant circa patronos causarum legali sanctione provisa, desuetudine abolita videantur, nos sanctionem eandem presentis rediviva constitutionis suffragio, cum aliqua tamen adiectione, nec non & moderamine renovantes, statuimus, ut omnes & singuli Advocacionis officium in foro Ecclesiastico, sive apud Sedem Apostolicam, sive alibi exercentes, presentem, tactis Sacrosanctis Evangelii, juramentum, quod in omnibus causis Ecclesiasticis & aliis in eodem foro tractandis, quarum assumpserint patrocinium, vel assument, omni virtute sua, omnique ope, id quod verum & iustum existimaverint, suis clientulis inferre procurent, nihil in hoc stadii, quod eis possibile sit, relinquentes, quodque in quacumque parte iudicii eis innoverit improbam fore causam, quam in sua fide receperint, amplius non patrocinabuntur eidem, immo ab ea omnino recedent, a communionem illius se penitus separantes: reliquis que circa hæc sunt in eadem sanctione statuta, inviolabiliter observandis Procuratores insuper juramento simili asstringantur. Huiusmodi quoque juramentum tam Advocati quam procuratores in foro, in quo idem assumpserint officium, teneantur annis singulis iterare. Qui vero ad eandem sedem veniant, vel ad curiam cuiuslibet Ecclesiastici iudicis, in qua non tale præstiterint juramentum, accedant, in aliquibus singularibus causis patrocinium vel procuracionis ministerium præstaturi, presentem, in singulis causis eisdem mota controversia, simile juramentum. Advocati autem & procuratores, qui iuxta prædictam formam jurare noluerint, executionem officiorum suorum huiusmodi voluntate durante sibi noverint interdicitam. Quod si juramentum præstitum violare præsumperint, præter reatum perjurii, consiliiarii etiam, qui scienter iniquam causam foverint, divinam & nostram maledictionem incurrant; a qua non aliter liberentur, nisi duplum ejus restituerint, quod pro tam iniquis advocacione, procuracione, vel consilio receperunt. Ac nihilominus de damnis, que per iniqua huiusmodi ministeria partibus irrogarunt, illis satisfacere teneantur. Ceterum ne cupiditatis ardor aliquos ad hac salubria statuta contemnenda præcipiet, districte inhihemus, ne aliquis Advocatus in quacumque causa ultra viginti, procurator vero ultra duodecim libras Turonenses recipere salarii nomine, vel etiam sub palmarii colore præsumat. Qui autem ultra receperint, nequaquam dominium eorum, que prædictam quantitatem excedunt, acquirant, sed ad restitutionem integram teneantur illorum. Ita quod nihil horum, ad qua restituenda eos teneri præmissimus, in fraudem presentis constitutionis remitti possit eidem. Et insuper advocati constitutionem presentem taliter violantes, ab advocacionis officio triennio suspendantur; Procuratores vero ex tunc sibi sciant cuiuslibet procuracionis in iudicio licentiam denegatam.

Spectabilis est Justiniani lex, rem non novam, C. de iudiciis, de iurejurando a iudicibus & causarum patronis præstando, & de habendo assidue sacrum Scripturarum codice in ipso iudicii loco. Idem de iurejurando præcipiunt Gallicana edita, quale est Francisci primi anno 1535. c. 4. art. 1. Carolus etiam nonus anno 1560. art. 56. jubet Advocatis, ut fideliter & sincere partibus consilium secundum jus suggerant, vetatque pravis causis patrocinari, sub pœna omnis damni & expensis partibus refarciendi. S. Augustinus ep. 54. ad Macedonium: Redde quod accepisti, quando contra veritatem stetiisti, iniquitati adisti, iudices fefelisti, iustam causam oppressisti, de facilitate vicisti; & S. Thomas 2. 2. q. 72. art. 3. ad 2. Dicendum, quod Advocatus si in principio credit causam iustam esse, & postea in processu appareat eam esse iniustam, non debet eam prodere, ut scilicet alteram partem juvet, vel secreta sua causa alteri parti revelet; potest tamen & debet causam deserere vel eum, cuius causam agit, ad cedendum inducere, sive ad componendum sine adversarii damno.

Can. XXI. Statutum felix recordationis Clementis Pape quarti prædecessoris nostri de dignitatibus & beneficiis, in curia Romana vacantibus, nequaquam per alium quam per Romanum Pontificem conferendis, decrevimus taliter moderandum, ut ii, ad quos eorundem beneficiorum & dignitatum spectat collatio, statuo non obstante prædicto, demum post mensem a die, quo dignitates seu beneficia ipsa vacaverint, numerandum, ea conferre valeant tantummodo per se ipsos, vel, ipsis agentibus in remotis, per suos Vicarios generales in eorum diocesis existentibus, quibus id canonicè sit commissum, cap. statutum de præbend. in 6.

Can. XXII. Hoc consultius prohibemus edito, universos & singulos Prælatos Ecclesias sibi commissas, bona immobilia, seu jura ipsarum laicis submittere, subicere seu supponere, absque Capituli sui consensu, & Sedis Apostolicæ.